128.

STEMMA
BUZICO-SAXONICUM,

SIVE

SERENISSIMA AC POTENTISSIMA
SAXONIÆ DUCUM
HODIERNORUM
F A M I L I A

EX MEDIO SECULI X.

SIVE

AB EIUSDEM SATORE,
THIDERICO DUCE SAXONIÆ
USQUE AD
FRIDERICUM BELLICOSUM ELECTOREM SAXONIÆ
UNA
CUM SINGULIS CUIUSQUE EORUM GENUINIS
CHARACTERIBUS VEL TITULIS
EX DIPLOMATIBUS PROLATA
EOQUE
RECENTIORUM SCRIPTORUM CONFUSIONE
VINDICATA
PER




FRIDERICUM ZOLLMANNUM
SAXON. ET IUR. C.

LIPSIÆ ET IENÆ
LITTERIS PETRI FICKELSCHERRII.
1721.

28.

POTENTISSIMAE

ATQVE

SERENISSIMAE

DOMVI SAXONICAE

SACRVM.

TABVLA

TAB

n.

n. 10.) Gero, *Comes de Brene.* — n. 11.) Conradus, *Comes.* — n. 12.) Riddagus.

n.

n. 10.) Tidericus, *Comes de Saxonia.* — n. 10.) Wilhelmus, *Comes de Camburg.* — n. 10.) Guntherus, *Episc. Zicensis.*

n. 18.) Henricus † 1181. *Comes de VVethin.* — n. 19.) Fridericus † 1181. *Comes de Brene.*

n. 2

n. 18.) Ulricus † 1206. *Comes de VVethin.* — n. 19.) Otto † 1293. *Comes de Brene.* — n. 19.) Fridericus † 1221. *Comes de Brene.*

n. 18.) Henricus † 1217. *Comes de VVethin, ult. stirp. sua.* — n. 19.) Otto *Com. de Brene.* — n. 19.) Theodericus *Comes de Brene.*

n. 25.)

n. 19.) Conradus, *Comes de Brene.*

n. 19.) Otto † 1290. *Comes de Brene, ult. stirp. sua.*

n. 28.)

n. 28.)

n. 34.)

n. 37.) Wilhelmus † 1407. *Landgr. Thur. M. M. &c.*

. &c.

n. 38.)

Lan

post

CTO

xoni

Fami

at po

stros





Erenisſimos **Principes noſtros**, *Duces Saxoniæ*, originem ſuam trahere ex illa familia, quæ apud *Ditmarum Epiſcopum Merſeburgenſem* in Chronico ſuo, (circa finem Seculi X. ſcripto de Imperatoribus primis Germanicis vel Saxonicis) *Tribus Buzici* dicitur, jam alii viderunt; quæ autem *Tribus* illa *Buzici* fuerit, & quis in iſta celeberrimus ille *Thiedricus, paterque Dedonis Merſeburgenſis Comitis*, adhuc in quæſtione poſitum eſt. At deficientibus in hac nobilisſima hiſtoriæ Saxonicæ materia rivulis, nihil aliud opus eſt erga Serenisſimam gentem Saxonicam devotione ardentibus, genuinamque veritatem ſitientibus, quam ut ipſos hiſtoriæ illius fontes primos quærant, ac inde ſuæ cupidini ſatisfaciant. Ex *Witichindi Annalibus*, ex *Ditmaro* jam laudato, ex autore *Chronici Montis Sereni* s. Lauterbergici, atque variis diplomatibus veritas hauriri poteſt ac debet. Hinc clare liquet, *Thiedricum* illum fuiſſe *Saxonicæ gentis clarisſimæ Ducem; Tribum Buzici* etiam illius *Thiedrici caſtro Budzico* nomen, originem vero ſuam *Thiedrico* eidem debere. Primam theſin absque longiore digresſione ſtatim probabo; idque ex verbis cujusdam epiſtolæ Imperatoris *Ottonis I.* apud *Witichindum Lib. II. Annal. p. 661. edit. Meibomianæ, in Tomo I. Script. Germ.* Data eſt hæc epiſtola in Italia, ac quidem *in Campania juxta Capuam XV. Kal. Febr. anno 968. ad Duces & Præfectos Saxon.* (ut *Witichindus* explicat) ita incipiens: *Otto divino nutu Imperator Auguſtus Herimanno & Thiederico Ducibus, cæterisque publicæ rei noſtræ præfe-*

ctis

ctis omnia amabilia &c. Conf. *Meibomii not. ad Witichind. p. 701. T. I.* & *Sigonium Lib. VII. de regno Italiæ p. 173.* Hic expresse noster *Theodericus Dux* dicitur, & quidem, quod bene notandum, ab ipso *Ottone I.* Imperatore, ut eo minus de illius dignitate dubitari possit. Saxoniæ autem Ducem fuisse, perinde, ut Hermannus Billingus, id nos docet VVitichindus iste historicus coævus ac Saxonicus, omni exceptione major, verbis jam adductis. Idem patet ex *Ditmaro*, qui in Chronico suo *Lib. II. p. 21.* de exercitu Saxonico, qui a. 953. ad adjuvandum Ottonem I. Imp. contra filium Ludolphum proficiscebatur, ita loquitur: *Thiedricum insuper Ducem ac Wigmannum Comitem in præsidium ad Moguntiam denuo possidendam arma commoventes, patre se subsequente, pecunia per legatos amovere tentans; Thiedrico nequaquam aspirante, Wigmannum blanditiis delinitum celeriter corrupit.* Nec quicquam facit, quod noster *Theodericus* interdum *Comitis* nomine insigniatur; id enim frequentissimum illis temporibus erat, quod Duces etiam Comites dicerentur, licet ab his maxime differrent. Hinc non mirandum, quod in diplomate Ottonis I. Imp. dato a. 966. IX. Kal. Maj. Quedlinburgi, cuidam Comiti Mamaconi, inveniatur: *Theodericus Comes noster fidelis* &c. item *Theodericus Comes* &c. vid. *Meibomium Tom. I. Script. German. p. 750.* Plura ejusmodi exempla proferri, si requireretur de aliis Ducibus, facili negotio possent. Hic igitur *Theodericus Dux Saxoniæ* fuit ille pater *Dedonis* Comitis; id enim non solum temporis ratio postulat, verum etiam reliquæ circumstantiæ requirunt: Inter causas enim intumescentiæ *Dedonis* Comitis filii *Theoderici* refert *Ditmarus Lib. VI. p. 151. seq.* magnas natalitias origines ac familiam; *Appendix Chronici Montis-sereni p. 201. edit. Mader.* dicit, *in diebus primi Ottonis Imperatoris fuisse quendam Tidericum egregiæ libertatis virum, qui genuisset duos filios Dedonem & Fridericum Comites* &c. Hæc satis *Theoderici* nostri dignitates Ducales confirmant. Sic *Theodericus Dux* mortuus est circa annum 975. postea enim nihil de eo invenietur, nisi quis eum cum *Theoderico Marchione ex oriente* (ut *Ditmarus Lib. IV. p. 64.* eum appellat) qui post annum 1013. secundum *Helmoldi Chronicon Slavor.* mortuus est, confundere, sicque adversus chronologiam sentire velit. Ex hoc emortuali anno

Ducis videmus, cur *Dedo* filius ab infantia serviit agnato suo *Rigdago Marchioni* (ut *Ditmarus* l. c. habet) quia scilicet *Dedo* Comes mox patrem *Theodericum* amiserit. In eo etiam consentiunt circumstantiæ, quod *Theodericus Dux Sax.* æque, ac noster *Theodericus*, nostraque *familia Budsecia* habuerit terras ac Comitatum suum in *pago Saxonico*, v. *diploma sive bullam Papæ Leonis IX. a. 1048. datam monasterio Nienburgensi, & bullam Lucii Papæ d. a. 1144. apud Becmannum in Hist. Anhalt.* vel in illa parte Saxoniæ, quæ Nortthuringia dicebatur, ubi nunc *Magdeburgum, terræ Anhaltinæ, finesque Salæ* sunt. Probant id duo diplomata Imp. Ottonis I. alterum apud *Dn. Leuckfeldium in Antiquit. Gandersh. p. 100. d. d. XI.* Kal. *Maj. a. 956. in VVerlahu; datum cœnobio Gandersheimensi*, ubi sequentia leguntur: *In pago Nortthuringia dicto, in Comitatu Theoderici, in loco, qui dicitur VVanzleba &c.* Alterum habet *Meibomius in Tomo II. Script. German. p. 495. in Syntagmate Bodonis de constructione cœnobii Gandesiani, datum a. 975. III.* Non. *Novembr. Palathe*, ibi est: *In pago Notoringia in Comitatu Theoderici in loco VVetzeleve nuncupato* &c. Familiæ etiam *Budseciæ* ibidem pertinebant castrum *Budizco, Zorbeca*, aliaque, ut ex sequentibus patebit. Hæc de *Theoderico* nostro.

Nunc de originibus *Familiæ Buzici* agam: *Budizco, Budizico, Budzico & Buzici* eadem sunt, nec differunt a se, perinde, ut in aliis nominibus Slavicis fit, e.g. Pagus *Nudzichi* etiam *Nudiczi, Nusidici Nudisici* dicitur, de quo *Iunckerus in Geographia sua mediæ ætatis p. 265.* conferri potest; ut de pluribus exemplis taceam. Ex *diplomatibus Nienburgensis monasterii* ad Salam fluvium intra Bernburgum siti, *d. a. 983. & a. 1022. ap. Chr. Knauthium in Tr. vocato: Gründliche Vorstellung etlicher in Beckmanns Anhältl. Historie befindlichen Irrthümer, p. 14. & 16.* patet, fuisse *Budizico* nomen Slavicum castelli cujusdam, quod Teutonice *Grimersleve* vel *Grimsleben* dictum, cæterum in ripa Salæ fluvii ex adverso castri antiquissimi *Northringen*, infra *Bernburgensem civitatem*, ubi *Buda* Harzicum flumen cum Sala se conjungit, ubi etiam a. 1644. durante bello tricennali Germanico castra exercitus Suecorum metabatur contra Cæsareos in altera ripa constitutos, situm erat. Sciendum autem *Budzico* lingua Slavonica vel Venedorum, locum & castellum limitaneum significare, v.

 Fre-

Frencelii Nomenclat. utriusque Lusatiæ; hinc suspicari licet, nomen Teutonicum *Grimsleben* corruptum esse ex *Gränzleben*, locum limitaneum indicante. Videtur quoque, fluvium *Bude* hinc suam appellationem accepisse, ita, ut sit aqua in finibus vel limitibus contra Luiticios vel Slavos, fluens. Certe ab hoc castello *Budzico* nomen accepit *Tribus Buzici*, ut dicitur a *Ditmaro historico* familia *Theoderici Ducis*. Jam enim incipiebant Comites aliique nobiliores personæ a locis, ubi plerumque commorabantur, dici; sic *Sifridum* & *Bionem Comites Merseburgenses, ac Brunonem Comitem Harneburgensem* apud eundem *Ditmarum*, paulo post autem *a. 1037. Popponem Comitem de Henneberg testem in diplomate Gerhardi Episc. Herbipol. dato Ecclesiæ in Oeringen ap. Dn. Lunigium Archiv. Imp. Part. Spec.* invenimus. In *Theoderico* etiam *Duce Saxoniæ* familiæ suæ nomen *Buzici* tributum esse arbitror, eam ob caussam potissimum, ut discerneretur ab illa gente, quæ in iisdem partibus ac regione erat celebris *Marchionum Lusicensium, Osterburgensis familia* dicta, cujus sator erat *Ditmarus Marchio* qui non solum agnatus, verum etiam frater *Theoderici Ducis* ob patrem *Christianum March.* videtur, ita tamen, ut ex alia matre natus fuerit. Hinc videmus, quod *Gero Archi-Episcopus Coloniensis* & *Ditmarus Marchio Lusic.* ubique non solum fratres, sed etiam fratres *germani*, scil. ex matre *Hidda* sorore *Geronis Ducis ac March.* in diplomatibus vocantur, scilicet, ut sic distinguantur a fratribus consanguineis; vide *Geronis Archi-Ep. Colon. & Ditmari Marchionis fratrum germanorum diploma datum Hagenrodensi cœnobio IV. Cal. Sept. a. 970. ap. Becmannum hist. Anhalt. III. IV. 1. item diplomata Nienburgensis monasterii ab Ottone II. Imp. IV. Cal. Jul. a. 975. Magdeburgi; & XV. Cal. Maj. a. 978. Alstedii data;* loc. cit. *Diplomata ab Henrico II. Imp. XI. Cal. April. a. 1003. Magdeburgi, & ab Henrico III. Imp. XI. Cal. Aug. a. 1041. Tullide data; ap. Becmannum l. c.* Conferri potest quoque *Chronicon Montis Sereni a. 1171.* Confirmat eandem cognationem, quod utrarumque familiarum terræ prorsus commixtæ essent, quodque *Ditmarus historicus Lib. VI. p. 152.* scribat *Theodorici Ducis* filium *Dedonem Zurbizi Burgwardum, quem antecessores sui in beneficium possedissent, sibi & confratri suimet Friderico vindicasse.* Nam sciendum

dum est *Zorbecam*, antequam illam sibi propriam vindicaret *Dedo*, fuisse pertinentiam Feudi Imperialis ac castelli *Budsici*, qnod ex diplomate *Ottonis II. Imp.* videmus, *dato Nienburgensibus monachis V. Non. Maj. a. 980. in Thornburg*, ubi pertinentiæ illius castelli *Budsici* designantur, & duæ *Zorbecæ* reperiuntur, vicus ac burgwardus scilicet; Extat diploma alleg. *in Hist. Anhalt. Becmanni III. IV. 2.* Castellum autem *Budsico* cum *Zorbeca* antea habuit *Theodericus Dux* pater *Dedonis*, quippe a quo ipsius stemmati nomen *Buzici* tributum; ante *Theodericum* vero dictum castellum habuit *Christianus Marchio* quidam, ut patet ex diplomate *Ottonis I. Imp. dato Archiepiscopatui Magdeburg. XI. Cal. a. 937.* ap. *Meibomium, Tom. I. Script. German. p. 741.* ubi: *In Comitatu Christiani in Grimbecesleba* &c. *Budsico* autem & *Grimsleben* idem est, ut supra ostendimus; Igitur *Christianus* æque ac *Theodericus* fuerunt *antecessores illi*, qui castelli *Budsici* beneficium sive feudum possederunt, quod *Dedo proprium* sibi vendicavit. Notandum vero hos non simplices, sed consanguineos antecessores vel progenitores fuisse, cum jure consanguinitatis *Dedo* non solum sibi, sed etiam fratri *Friderico* vendicaverit feudum *Zorbecæ* burgwardii, dum post mortem patris illorum *Theoderici* castellum *Budsico* & reliquæ pertinentiæ ceu mera Imperii feuda per donationem Imperatoris *Ottonis II.* ad monasterium Nienburgense venissent: Idem enim jus habebat *Fridericus* frater ac *Dedo* ex sanguine. Nec dubium est de *Zorbeca*, in loco *Ditmari* allegato, quod non fuerit nostra, quæ pertinuit ad castellum *Budsico*; nam posthæc in diplomatibus Nienburgensibus non nisi unam *Zorbecam* scil. villam, non vero burgwardum invenimus inter appertinentias *Budsici*, monachis attributas. Probat id *Bulla confirmationis quædam Lucii Pontific. Rom. super bona monasterii Nienburgensis, ipsi data a. 1144.* ubi in recensione bonorum istius non nisi una Zorbeca existit, ap. *Becmann. l. c. p. 442.* Idem fit in *Bulla Innocentii Pont. Rom data eidem cœnobio a. 1216. Perusii II. Non. Junii &c.* cujus verba maxime huc facientia ex Becmanno, *qui l. c. p. 443.* istam totam bullam habet, afferam: *Ex dono Ottonis II. Imperatoris, Hazekenrothe villam & forum in ea cum omnibus pertinentiis suis; Burgwardium dictum Grimesleve cum villis suis Nizatbize, Minuwize, Pruthou-*

thouwe, *Prezberici*, *Popuwize*, *Zlubube*, *Pazluuize*, *Heithersdorp*, *Latendorp*, *Burchardesdorp*, *Lieverickesdorf*, *Zrubuhec* (antecedens Bulla rectius habet *Zorbuech*) *Moluwichi*, *Callendhorp*, *VVitigizti*, *item VVitigizti*, *Cossuwize*, *Motlize*, *VVilckinize*, *Prebersdborp*, *Izerizicke*, *Pitnie*, *Catue*, *Bruslize*, *Plothunize*, *Zabucuze*. Confirmant hanc de consanguinitate *Theoderici Ducis Sax.* & *Ditmari Marchionis Lusicensis* opinionem succesſiones *Familiæ Budsicæ* in Comitatu Merseburgensi & Marchia Lusicensi, quæ antea habuerat Familia Ditmari Marchionis. Comitatum enim Merseburgensem, quem *Sigfridus & Gero* fratres Hiddæ, matris Ditmari March. gubernaverant, accepit *Dedo I.* filius *Theoderici Duc. Sax.* ut ex *Ditmari* historici *Chronico Lib. VI. p. 152.* liquet. Marchiam vero Lusicensem post mortem *Odonis* (qui nepos Ditmari March. erat) adeptus est *Dedo II.* nepos *Dedonis I.* Comitis; vide *Chron. Mont. Seren. p. 39.* & *202.* Imo Dedonis II. pater *Theodericus* licet non plenariam Marchionis Lusicensis dignitatem, tamen ejusdem Marchiæ administrationem videtur habuisse ac ideo *Comes Orientalium* dictus fuisse, ut infra in titulis videbimus. Quamvis enim dignitates illæ tunc temporis non essent mere hæreditariæ, solebat tamen respectus haberi consanguinitatis. Perinde autem, ut *Familia Theoderici Ducis* a *Budsico* castello *Budsecia* appellabatur; ita *Ditmari March. Lus.* nominabatur aut ab antiquo Geronis Ducis & March. castello *Osterburg*, apud *Gernrode* sito, in ditione Anhaltina, aut a civitate *Osterburg* veteris Marchiæ, *Osterburgensis*; sic enim exprimitur per diploma *Ottonis I. Imp. datum V. Calend. Aug. a. 952. VValebusæ*, *Geroni* March. & Duc. ap. *Meibomium Tom. I. p. 744.* & *Entzelt in Chronico Vet. March.* p. 88. ibi enim: *quod est situm in pago Zermund in Comitatu Theomari Civitatis Osterburgensis* &c. quæ saltem illustrationis caussa hic apponere volui. Hæc satis sint de *Theoderici* nostri *Ducis Saxoniæ* atque *Tribus vel Familiæ Budsicæ origine*.

Jam de posteris Theoderici agendum erit; Cumque maximam confusionem scriptores recentiores *Albinus*, *Pecensteinius*, *Fabricius*, *aliique* commiserint in attribuendis Titulis vel Characteribus cujusque, dum conjecturis non satis firmis nixi fuerint, ita, ut sæpissime ac pessime historia obscuretur; nunc hic curabimus, certiora

ex

ex diplomatibus Imperatorum, Marchionum, Comitum, &c. aut saltem ex scriptoribus coævis & fidei probatæ, qui instar diplomatum sunt, proferre. Numeri hic præfixi cuilibet personæ, se referunt ad Tabulam Genealogicam, quam illustrationis ac perspicuitatis gratia addidi supra.

n. 1. THEODERICVS † c. a. 975.

Hic ab Ottone I. Imp. in diplomate quodam dato Mamaconi Comiti, Quidelinburgi, IX. Kal. Maji a. 966. dicitur *Theodericus Comes noster fidelis;* ap. Meibomium Tom. I. Script. German. p. 750. *Theodericus Comes*, appellatur ibid. *Dux* celebratur, perinde ut Hermannus Billingus, non solum in Chronico Ditmari Merseb. Episc. Lib. II. c. a. 953. verum etiam ab ipso Ottone I. Imperatore in litteris suis ad Duces & Præfectos Saxoniæ (ut VVitichindus Annal. Lib. III. explicat) datis in Campania juxta Capuam, XV. Kal. Febr. a. 968. VVitichindus loc. cit. eum *Ducem Saxoniæ* nominat; Autor vero appendicis ad Chronicon Montis sereni *Egregiæ libertatis virum* eundem prædicat.

n. 2. DEDO, interfect. a. 1009.

Theoderici Ducis filius, v. Ditmarus Lib. VI. p. 388. Tom. I. Scriptor. Brunsvic. Leibnitii. *Comes* dicitur ibidem, qui Comitatum Bionis *Comitis Merseburgensis* mortui adeptus est; erat ille Comitatus inter VVipperam, Salam, Saltam & VVillerbeck fluvios situs, vid. l. c. Interfectus est *Dedo* a VVernizone Marchione; uxorem vero habuit *Thiebergam* filiam Theoderici March. v. l. c. & Append. Chronici Montis sereni.

n. 3. FRIDERICVS † 1017.

Dedonis frater; *Comes*, qui habuit *Comitatum ac civitatem Ileburg* ac potestatem super pagum *Seuseliz*, v. Ditmarum Lib. VI. p. 388. Lib. VII. p. 412.

n. 4. THEODERICVS interf. a. 1034.

Dedonis filius; v. Ditmarus Lib. VI. p. 388. Dictus *Comes Orientalium* ab autore Annal. Hildesh. a. a. 1034. Non solum enim Comitatum patris a Rege Henrico II. accepit, sed etiam comitatum

B patrui

patrui Friderici de *Ileburg;* imo fuſcepit adminiſtrationem *Luſicenſis Marchiæ*, vacuæ ex Odonis March. morte; vid. loc. cit. conf. n. 7. infr. Habuit Theodericus uxorem *Mathilden* filiam Eckardi March. Orient. v. Append. Chronici Montis ſereni. Occiſus vero eſt a militibus Eckardi March. Iun. vid. Annal. Hildesh. a. a. 1034.

n. 5. FRIDERICVS.

Theoderici II. filius, *Propoſitus Majoris Eccleſiæ Magdeburgenſis*, poſtea *Archiepiſcopus Magdeb.* vide Append. Chron. Mont. Ser.

n. 6. DEDO † 1075.

Friderici frater, Theoderici II. filius, cujus *dignitatem honoris* obtinuit; v. Annal. Hildesheim. a. a. 1034. dictus ibidem *Comes Dadi* a. a. 1035. *Marchio Dedo* teſtis allegatur in diplomate, dato Goſecenſi monaſterio III. Kal. Octobr. 1053. ab Adelberto Bremenſi Archiepiſcopo; vide Chronicon Goſecenſ. *Marchionem Saxonicum Dedonem* dicit Lambertus Schafnab. a. a. 1069. Scilicet acceperat Marchiam Hodonis vel Odonis March. *Luſatiæ* v. Append. Chron. Mont. Ser. Ipſius conjux fuit primum *Oda*, vidua VVilhelmi Thuring. Prætoris, v. Annal. Hildesh. a. a. 1034. ex qua genuit *Dedonem*, circa a. 1069. inſidiis interfectum; Secunda uxor illius fuit *Adela* vidua Ottonis Marchionis de Orlamunde, v. Lamb. Schafn. a. a. 1069. cum qua habuit filium etiam Dedonem appellatum, v. Lamb. Schafnab. a. a. 1075. conf. Append. Chronici Mont. Ser. Mortuus eſt denique Dedo Marchio a. 1075. v. l. c.

n. 7. HENRICVS I. † 1104.

Hic non filius Dedonis March. antecedentis eſt, prout putat Auctor appendicis Chronici Mont. Ser. confundens ſimul eundem Henricum cum Henrico Craſſo, filio Ottonis de Northeim, Ducis, ideoque eidem noſtro Henrico tribuens uxorem Gertrudem de Brunſvig, quæ Henrici Craſſi uxor erat. At Henricus noſter fuit Dedonis Marchionis frater, ut clariſſime patet ex Conradi March. Miſn. diplomate monaſterio Gerbſtadenſi dato V. Calend. Dec. anno MCLIV. vel MCLV. anno Imperii Friderici I. primo; apud

Bec-

Becmannum in Accesfion. hift. Anhalt. p. 612. (ubi quidem minus, quam recte ponitur annus dati diplomatis MCXXXV. quippe quo nondum regnavit Imperator Fridericus I. nec teftis adfcriptus Gerungus fuit Epifcopus Mifnenfis; ille enim a. 1154. vel 1155. coronatus eft; hic vero a. 1154. factus eft Epifcopus Mifn.) In dicto diplomate Conradus March. Mifn. filius Themonis Comitis de VVethin Henricum noftrum Marchionem patruum fuum ac fratrem Dedonis March. nominat; Ipfa proferam verba diplomatis: *Pie recordanis Pater nofter Themo Comes de VVethin, confenfu fratrum fuorum Dedonis Marchionis, Henrici Marchionis, Geronis, Conradi, Comitum &c.* Hoc loco *Marchio* dicitur etiam, perinde, ut jam antea in alio diplomate Imper. Henrici III. quod dedit cuidam *Vitio* militi VVigberti Comit. Groitfch. de villa Scorlup & burgwardo Scölen anno 1097. ap. Dn. de Ludewig T. II. Reliqu. MSCtorum; Et in alio dipl. Gofecenfi monafterio dato ab Imper. Henrico IV. 2. Idus Iunii in Quidelinburg, anno 1085. ap. Autorem libelli de Fundatione Gofec. Monaft. *Henricum Marchionem Mifnenfem* habet Autor Libelli de Fundat. cœnobii Bigaug. ante annum 1078. *Marchionem de Ileburg feniorem* Autor Chronici Montis fereni a. a. 1126. *Henricum de Ilburg Marchionem* Chronograph. Saxo a. a. 1104. ap. Leibnitium Tom. I. Rer. Germ. in 4. *Marchionem de Hileburg* Appendix Chronici Mont. fer. Mortuus eft a. 1104. v. Chronograph. Saxo, a. a. 1104.

n. 8. HENRICVS II. † 1127.

Filius Henrici antecedentis erat; cæterum *Marchio Mifnenfis & etiam de Ilburg* dicebatur, v. Chronicon Mont. fereni a. a. 1126. Moriebatur a. 1127. vide l. c.

n. 9. THIEMO.

Henrici I. (fub n. 8.) March. Mifn. erat frater, Theoderici filius, ut patet ex diplomate Conradi March. Mifn. dato Gerbftadenfi Monafterio V. Kal. Decembr. a. 1154. vel 1155. fupra n. 8. allegatum, in quo etiam dicitur *Themo Comes de VVethin.* In alio documento d. a. 1053. Libelli de Fundatione Gofecenf. Monafterii reperi-

peritur *Themo Comes de Brene ;* Sic enim ibi pro *Vemo* legendum eſt. Vxorem habuit *Idam* filiam Ottonis de Northeim Ducis, v. Append. Chronici Mont. Ser.

n. 10. GERO.

Thiemonis ſuperioris frater; *Comes* dicebatur in diplomate illo Conradi March. Miſn. d. a. 1154. vel 1155. ſub n. 8. & 10. allegato: at in alio de a. 1053. apud Autorem libelli de fundatione Goſecenſis monaſt. appellatur *Comes de Brene.* Cum uxore *Berta* genuit 1. *Tidericum Comitem* in Append. Chronici Mont. ſer. & *Comitem de Saxonia* in Annal. Hildesheim. a. a. 1104. nominatum; 2. *VVilhelmum Comitem de Camburg* in Libello de Fundat. monaſt. Goſec. poſt a. 1088. dictum; 3. *Guntherum Epiſcopum Zeicenſem.* Vid. Append. Chronici M. S.

n. 11. CONRADVS.

Etiam frater Thiemonis Com. de VVethin; *Comes* dictus in ſæpius allegato diplomate d. a. 1154. vel 1155. Conradi March. Miſn.

n. 12. RIDDAGVS.

Thiemonis illius frater, qui ultimo loco nominatur in Append. Chronici M. S.

n. 13. DEDO † 1124.

Thiemonis Com. de VVethin filius; *Comes* dictus in Chronico Mont. ſer. a. a. 1124.

n. 14. CONRADVS † 1156. *Magnus.*

Thiemonis Comitis de VVethin filius; vide ipſius Conradi M. diploma d. a. 1154. vel ſeq. monaſterio Gerbſtadenſi, quod in terris Mannsfeldicis ſitum, datum. Dicitur *Comes* in Chronico Mont. S. a. a. 1127. *Comes de Saxonia* in Libello de Fund. cœnobii Bigaug. a. a. 1123. *Comes de VVetin* in Chronico M. S. a. a. 1175. *Marchio* in diplomate quodam d. a. 1129. ap. Maderum, Antiquit. Brunſvic. *Marchio de VVitin* in diplomate Imp. Conradi III. d. Francofurti a. 1147. ap. Tolnerum Cod. dipl. Palat. *Conradus divina favente clementia*

Mar-

Marchio Misnensis incipit ipsius diploma Gerbstadense d. a. 1154. vel seq. *Marchio Misnensis & Orientalis* est in Chronico M. S. a. a. 1143. *Marchio de VVittin post de Misna & Luzane* habetur in libello de Fundat. cœnobii Bigaug. a. a. 1189. Marchiam enim Lusicensem, quæ etiam Orientalis dicebatur, ipsi concessit Imperator Lotharius v. Chronicon M. Ser. & illius Append. *Nobilis ac dilectus filius noster Conradus Marchio* sunt verba Bullæ Gerbstadensi monasterio datæ ab Innocentio II. Pontif. a. 1137. ap. Becmannum, Accession. Histor. Anhalt. *Conradus Comes Misnensis* denique scribitur, nescio an ex industria Autoris, an ex negligentia describentis, in Chronico M. S. a. a. 1143. Moritur Conradus a. 1156. vid. l. c. a. a. 1156. A recentioribus scriptoribus dicitur *Magnus* cognomine.

n. 15. OTTO † 1189. *Dives.*

Conradi March. Misn. filius; ita enim in diplomate monast. Portensis d. a. 1140. ab Episcopo Numburg. super concambio Smolnensi, ap. Pertuchium, Chronic. Port. testes inveniuntur: *Conradus Marchio & Otto Marchio filius ejus.* In Helmoldi Chronico Slavor. a. a. 1166. legitur *Otto Marchio de Camburg;* in Libello de Fundat. cœnobii Bigaug. a. a. 1177. est *Marchio de Misna;* in diplomate Imper. Friderici I. super concambio Smolnensi d. VII. Idus Octobr. a. 1180. Aldenburgi, ap. Pertuchium l. c. scribitur *Otto Marchio Misnensis.* Moriebatur a. 1189. vid. Libellum de Fund. Cœnob. Bigaug. Recentiores *Ottonem Divitem* appellant.

n. 16. THEODERICVS † 1184.

Conradi M. Misn. filius secundus, *Marchio Orientalis* v. Chronicon M. S. a. a. 1184. *Marchio de Landsberg*, testis in diplomate Imper. Fridericus I. dato Portensibus super concambio Smolnensi a. 1180. Hic Theodericus primus omnium est, qui se Marchionem de Landsberg scripsit, quippe qui construxit castrum in Marchia sua Orientali *Landsberg*, cujus rudera adhuc extant hodie non procul ab Hala Saxonum, conf. Chronicon M. Ser. a. a. 1184. *Theodericus Marchio de Lusiz* exstat testis in Imp. Friderici I. diplomate d. Idibus April. a. 1180. in solenni curia in Gelnhausen super parte Ducatus

VVeſtphalici Archiepiſcopo Colon. attributa. Filium genuit *Conradum Comitem*, ſed ante patris mortem a. 1175. in torneamentis occiſum, v. Chronicon M. S.

n. 17. DEDO † 1190.

Conradi Marchionis filius tertius; *Comes de Rochliz*, v. Chronicon M. S. a. a. 1156. *Comes de Groiz* vel *Gryze*; v. diploma Imp. Friderici I. de Ducatus VVeſtphaliæ parte Colonienſi Archiepiſcopo data, ſcriptum in ſolenni curia in Gelnhauſen a. 1180. Idibus April. & diploma Portenſi monaſterio datum ab cod. Imperatore VII. Id. Octobr. 1180. Aldenburgi, ſuper concambio Smolnenſi. Theoderico fratre M. Orientali mortuo, dicitur *Dedo Marchio* v. Chronicon M. S. a. a. 1188. & *Marchio Orientalis* v. ibid. a. a. 1190. ac in diplomate Imp. Friderici I. Lubecenſibus dato a. 1188. apud caſtrum Liznick; in Dn. Lunigii Arch. Imper. Part. Spec. ſub Civit. Imper.

n. 18. HENRICVS † 1181.

Conradi Marchionis filius quartus; *Comes de VVitin*, vid. Chronicon M. S. a. a. 1181. & Append. it. diploma ap. Maderum, Antiq. Brunſvic. d. a. 1157. pag. 20. Sator fuit *Comitum de VVetin*, quorum ſtirps deſiit in *Henrico puero* a. 1217. conf. Chron. M. S.

n. 19. FRIDERICVS † 1181.

Conradi March. filius natu minimus; *Comes de Brene* vel *Brenen*, vide diploma Imp. Friderici I. datum Portenſibus monachis a. 1180. jam ſupra alleg. & Chronicon M. S. a. a. 1181. Sator fuit familiæ *Comitum de Brene*, quæ in *Ottone juvene* a. 1290. exſtincta eſt. Horum cum omnium idem Titulus fuerit, huc referre ſingulos nolui, præſertim cum illorum & Comitum de VVettin ſeriem in Tabula Genealogica præfixa annotaverim.

n. 20. ALBERTVS † 1195.

Ottonis March. Miſn. filius, v. Chronicon Montis Ser. a. a. 1188. ubi etiam *Marchio* dicitur a. a. 1194. *Marchionis* vero *Miſnenſis* titulo ipſe uſus eſt teſtis in diplomate Henrici VI. Imp. dato ſu-

per

per Ecclesiam in Zwickau, monasterio Bosaugiensi a. 1192. apud P. Langium, Chron. Citizensi. Moritur improlis a. 1195. v. Chronicon Mont. S.

n. 21. THEODERICVS † 1220.

Alberti superioris, M. Misn. frater; *Comes* dictus in Chronico Montis sereni a. a. 1188. & 1197. item *Comes de VVizenfels* ibid. a. a. 1194. Mortuo autem fratre Alberto, cum obtinuisset illius terras, appellatus est *Marchio Misnensis*; vide diploma Imp. Ottonis IV. d. a. 1209. apud Meibomium, Script. Rer. Germ. Tom. III. p. 162. *Marchio de Misna* est in diplomate monasterii Portensis ab eodem Imperatore dat. VII. Cal. Ianuar. in partibus Spoletanis apud Interamnem a. 1209. vid. Pertuchius, Chron. Portens. Dicitur etiam *Tidericus Marchio Misnensis & Orientalis* a. 1214. in diplomate Imp. Friderici II. apud P. Langium Chron. Citizensi; Et *Marchio Misnensis & Orientis* in diplomate conventionis ejus cum Imp. Ottone IV. d. a. 1212. apud Maderum, Antiquit. Brunsvic. Redemit enim marchiam *Orientalem* sive *Lusatiæ*, mortuo cognato suo Conrado, ab Imperatore X. millibus marcarum argent. v. Chronicon Mont. Ser. a. a. 1210. Moritur Theodericus a. 1220. v. loc. cit. a. a. 1220.

n. 22. CONRADVS † 1210.

Dedonis Marchionis Orientalis filius; conf. n. 18. supr. Appellatur *Marchio Orientalis* in Chronico Mont. S. a. a. 1190. & in Diplomate d. a. 1199. apud Dn. Hofmannum, Script. Lusatiæ, Append. *Marchio de Landsberg* in diplomate d. a. 1192. apud P. Langium, Chron. Citizens. & in alio d. a. 1209. ap. Tolnerum Cod. diplomat. Palat. *Marchio* simpliciter dicitur in diplomate d. a. 1190. apud P. Langium Chron. Citiz. *Cunrad von Gotis Gnaden, Marcgrave in dem Ostirlande* est in versione diplomatis Dobriluc. d. a. 1199. apud Dn. de Ludewig Tom. I. Reliq. MSCtorum, pag. 207. Pro an. 1299. enim, qui ibidem scriptus, annus 1199. ponendus est, quemadmodum Chronologia id postulat. Mortuus est Conradus a. 1210. v. Chron. M. Ser.

n. 23. THEODERICVS † 1207.

Conradi March. frater, *Comes de Sumerschenburg* v. Chronicon

nicon M. a. a. 1190. *Comes de Summerschenburg, qui etiam de Groitz dictus*, vid. loc. cit. a. a. 1223. Mater enim ipsius fuit Mathildis, filia Adelheidis Summerscheburgicæ Palat. cujus Pater erat Fridericus Com. Palat. Saxon. Castrum Groiz vero accxperat Theodericus noster a patre suo Dedone, de quo sub n. 18. actum est. *Comes* dicitur simpliciter in diplomate quodam d. a. 1190. apud P. Langium Chron. Citiz. *Theodericus de Greuch comes* invenitur Testis in confœderatione Reg. Rom. Philippi cum Reg. Gall. Philippo Aug. inita a. 1198. VVormatiæ III. Kal. Jul. apud Leibnitium, Codice Diplom. Juris Gent. P. I. Moriebatur improlis a. 1207. v. Chronicon M. S.

n. 24. HENRICVS † 1288. *Illustris.*

Theoderici Marchionis Misnensis & Orient. filius, conf. n. 22. Theodericus Pater inceperat titulos coacervare, eum secutus est filius Henricus, ita, ut non duobus tantum contentus esset, sed pluribus simul uteretur; Hinc *Henricus Misne & Orientalis Marchio, Thuringie Landgravius & Saxonie Comes Palatinus* est in diplomate d. a. 1230. apud Dn. Struvium Diss. de Comitia Palat. Sax. *Nos Henricus Dei Gratia Misnensis & Orientalis Marchio, Thuringiæ Landgravius, Saxoniæ Comes Palatinus & Terræ Plisnensis Dominus* habet diploma ipsius d. a. 1246. apud Dn. Schlegelium Diss. de numis Isenac. it. diplomata duo, alterum d. a. 1253. alterum d. a. 1253. alterum d. a. 1256. apud Dn. Struvium l. c. Thuringiam ac Comitatum Palat. Saxon. sibi vindicavit Henricus noster tum jure matris ex Thuringico sanguine ortæ, tum jure exspectativæ ipsi ab Imperatore Friderico II. a. 1242. concessæ, eorumque Titulos jam ante mortem ultimi Landgravii Thur. Henrici Rasp. gessit, quippe qui a. 1247. vita defunctus est; quod contra illos notandum, qui, ut Misnensium jus in Thuringiam suspectum reddant, illud a nostro Henrico March. primo neglectum asserunt; Plisnensem terram vero jure oppignorationis Imperatoriæ accepit. *Misnensis & Orientalis Marchio* vocatur in diplomate d. a. 1289. apud Dn. Hofmannum Script. Lusat. Append. & in diplomatibus d. a. 1271. & 1283. apud VVeckium Descript. Dresdæ, p. 470. *Wir Heinrich von Gottes Gnaden zu Meissen und im Osterland Marggrav* est in diplomate d. a. 1285. loc. cit. p. 471.

Dile-

Dilectus Pater noster Dominus Heinricus Marchio Misnensis dicitur a filio Theoderico March. Landsbergensi in diplomate Isenbergensi monasterio dato II. Idus Febr. a. 1266. in Groitz apud Dn. Struvium, Præfat. ad M. Mageri a Schönberg Tract. de Advocatia armata. *Illustrissimus Princeps & Orientalis Marchio* appellatur a nepote suo Theoderico juniore s. Diezmanno in diplomate d. a. 1289. apud Dn. Hofmannum in Script. Lusat. Append. p. 175. Vulgo *Henricus illustris* vocatur; moriebatur a. 1288. v. Sigfrid. Presb. conferatur tamen Dn. Schlegelii Diss. de Cella vet. p. 60.

n. 25. ALBERTVS † 1314. *Degener.*

Henrici illustris filius, Sifrid. Presb. a. a. 1231. *Thuringorum Landgravius & Saxoniæ Comes Palatiuus*, vide diploma apud Dn. Rudolphi, Gotha diplom. Part. V. *Thuringorum Landgravius & Dux, Saxoniæ Comes Palatinus*, v. diploma d. a. 1292. in Peiferi Lipsia. *Thuringorum Landgravius, Saxoniæ Comes Palatinus, Misnensis & Orientalis Marchio* a. 1288. ac *Thuringiæ Landgravius Senior* a. 1300. ab Abbate Reinhardbrunn. dictus, ut alicubi annotavit Hortlederus. Cum conjuge Margaretha Imperatoris Friderici II. filia genuit Henticum, Fridericum & Dietericum v. Sifrid. Presb. a. a. 1231. Vulgo *Albertus degener* nominatur.

n. 26. THEODERICVS † 1285.

Henrici illustris frater, Sifrid. Presb. a. a. 1231. *Marchio de Landsberg* a. 1267. in diplomate apud Dn. Schlegelium, Diss. de Cella vet. p. 50. *Nos Theodericus Dei gratia Marchio de Landesberc* a. 1267. in diplomate apud Dn. Schlegelium, Diss. de Cella eet. p. 50. *Nos Theodericus Dei gratia Marchio de Landesberc*. a. 1266. in diplomate ejusd. dato in Groitsch, II. Jdus Febr. monasterio Isenberg. apud Dn. Struvium, in Præf. ad M. Mageri a Schönberg Tr. de Advocatia armata.

n. 27. FRIDERICVS † 1316. *Parvus.*

Henrici illustris filius; *Ego Fridericus Dei gratia, Misnensis & Orientalis Marchio, Princeps* & *Hæres terræ Lusatiæ, Magnifici quondam*

dam Domini Henrici, Misn. & Orient. Marcb. junior filius eſt in ipſius diplomate d. a. 1289. menſ. Febr. apud Dn. Hofmannum Script. Luſat. Introduct. p. 30. & Append. p. 179. *Nos Fridericus Dei gratia junior, filius illuſtris Principis Domini Henrici quondam Misnenſis & Orient. Marcb. bonæ memoriæ, Dominus civitatis & territorii Dresden*, in diplomate ipſius d. a. 1291. apud VVeckium Deſcript. Dresdæ. *Illuſtris Fridericus Miſnenſis & Orientalis Marchio, Hæres terræ Luſatiæ, illuſtris quondam Henrici Marchionis Miſnenſis junior filius, Fidelis noſter dilectus* a. 1289. m. Martio dicitur in diplomate Imp. Rudolphi I. apud Dn. Hofmannum Script. Luſat. Append. *Fridericus Dei Gratia Miſniæ noſtræ Orientis Marchio* in diplomate d. a. 1303. apud Hermannum, Midweid. Denckmahl p. 244. *Fridericus D. S. Marchio de Dresden* a. 1311. in diplomate apud VVeckium, Deſcript. Dresd. *Dominus de Dresden* in diplomate monaſterii Nimpzſch apud Hortlederum in Schedis. Vulgo *Parvus* eſt dictus Germanice *der Kleine;* hinc male *rigoroſus* vel *der Klemme* dicitur.

n. 28. HENRICVS † c. a. 1299.

Alberti degeneris filius; ex Margaretha filia Friderici II. Imp. vid. Sifrid. Presb. a. a. 1231. Hinc ſeipſum appellat in diplomate ſuo d. a. 1273. apud Dn. Schlegelium Diſſ. de Cella vet. *Henricum, Domini Alberti, Thuringiæ Landgravii, filium;* Anno 1282. dicitur *Landgravius de Altenburg*, ut Hortlederus habet in Schedis ſuis. Vxorem duxit Hedwigem Duc. Sileſ. ex qua genuit *Fridericum Aneland* dictum (vid. Scripturam vet. ex cœnobio Cellæ vet. apud Dn. Schlegelium Diſſ. de Cella vet. p. 73. & 69.) mortuum c. a. 1315.

n. 29. FRIDERICVS, a. 1323. *Admorſus.*

Henrici ſuperioris frater, & Alberti degen. filius; qui ſeipſum in diplomate monaſterio Iſenberg. dato a. 1282. nominat: *Fridericum Dei Gratia Thuringiæ Landgravii filium & Saxoniæ Comitem Palatinum. Fridericus D. G. Comes Palatinus Saxoniæ* eſt in diplomate d. a. 1284. XV. Kal. Junii, Erfurdiæ, apud Dn. Lunigium, Archiv. Imper. Part. Spec. *Nos Fridericus D. G. Thuringiæ Landgravius & Saxoniæ Comes Palatinus* eſt in diplomate d. a. 1289. XI. Cal. April.

Erfur-

Erfurdiæ, ab Alberto ejusque filiis dato, apud Dn. Struvium, Diss. de Comit. Pal. Sax. *Fridericus Misnensis & Orientalis Marchio, Palatinus comes Saxoniæ*, habetur in diplomate d. a. 1291. dato Fribergensibus adud Mollerum, Annal. Fribergens. *Nos Fridericus D. G. Marchio Misnensis*, in diplomate d. a. 1303. apud Sagittarium, Histor. Goth. p. 105. *Friderich von Gottes Gnaden, Marggrav zu Meissen und Osterland, und Pfalzgrav zu Sachsen*, v. diploma d. a. 1292. apud Heinium, Descript. Rochlic. *Nos Fridericus D. G. Thuringiæ Landgravius, Misnensis & Orientalis Marchio, Dominusque terræ Plisnensis* in diplomate d. a. 1294. dat. Isenaci, apud Peccensteinium Theatr. Saxon. *Friderich von Gottes Gnaden Landgrav zu Thüringen, Marggrav zu Meissen und in dem Osterland*, in diplomate ipsius d. a. 1308. ubi confirmat Privilegia Isenacensium. Denique in quodam diplomate castellani sui in Grymmenstein d. a. 1316. apud Sagittarium, Histor. Goth. p. 108. legitur: *Illustris Princeps Dominus Fridericus Marchio Misnensis ac terræ Thuringiæ Landgravius.* Tanta est varietas in *Friderici* vulgo *Admorsi* dicti Titulis; nec tamen minor in fratris ejus Theoderici, ut nunc videbimus.

n. 30. THEODERICVS † 1307.

Anno 1289. in diplomate d. d. Luckovv, m. Jun. apud Dn. Hofmannum, Script. Lusat. Append. se dicit: *Theodericus Dei Gratia junior* (scil. respectu patrui sui Theoderici March. de Landsberg) *Landgravius Thuringorum, Orientalis & Lusatiæ Marchio, Dominusque terræ Plisnensis; Nos Theodericus D. G. Thuringie Landgravius ac Dominus terræ Plisnensis* est in diplomate Alberti filiorumque, dato a. 1289. XI. Kal. April. Erfurdiæ, apud Dn. Struvium, Diss. de Comit. Pal. Sax. *Wir Diterich von Gotis Gnaden der junge, Langrave zu Döringen und Marggrave in dem Ostirlande und tzu Lusitz*, v. diploma d. a. 1294. apud Dn. Rudolphi, Gotha Dipl. Part. II. c. 31. *Theodericus D. G. junior, Thuringorum Landgravius ac Marchio Lusatiæ*, v. diploma d. a. 1295. die Magdalenæ, in Gubyn, apud Dn. de Ludevvig, Reliq. MSCtorum, Tom. I. *Nos Theodericus D. G. Thuring. Landgr. Orientalis & Lusatiæ Marchio*, vid. diplomata d. a. 1295. & 1297. apud Dn. Hofmannum l. c. *Theodericus junior, Thuringiæ*

Landgravius, Orient. & Lusatiæ Marchio, v. diploma d. a. 1302. apud Sagittarium, Hist. Goth.

n. 31. ALBERTVS † *Apez.*

Alberti degeneris filius ex Kunigunda de Isenberg natus; *Albertus junior, Landgravius* in diplomatis sui sigillo scribitur a. 1290. apud Dn. Rudolphi, Goth. diplom. Part. V. Append. *Nos Albertus Dei gratia Lantgravius Thuringiæ Iunior;* in ipsius diplomatibus dictis monasterio S. Crucis apud Gotham a. 1296. & 1297. ap. Tenzelium, Supplem. II. Goth. Hist. p. 98. seqq. Vulgo *Apez* dicitur.

n. 32. FRIDERICVS † 1291. *Tutte.*

Erat filius Theoderici March. de Landsberg sub n. 27. Hinc & ipse dictus *Marchio de Landesberg* in diplomate d. a. 1285. apud Dn. Hofmannum l. c. *Marchio Misnensis & Orientalis & de Landesberg* appellatur in diplomate d. a. 1289. apud P. Langium, Chronic. Citiz. *Fridericus Misnensis Marchio, bonæ memoriæ, patruus noster* dicitur ab Alberto degenere in diplomate d. a. 1291. apud Peiferum, Lipsia. *Marchionem Misnensem* eum vocant Additiones ad Lambert. Schafnab. apud Pistor. a. a. 1290. Cognominatur *Tutte* vel *Teut.*

n. 33. FRIDERICVS † 1349. *Gravis.*

Friderici admorsi filius; *Fridericus junior D. G. Thuringorum Landgravius, Misnensis & Orient. Marchio, Dominusque terræ Plisnensis*, in diplomate ipsius dato monialibus S. Nic. in Isenach. anno 1323. apud Paullini, Annal. Isenac. *Nos Fridericus D. G. Thuringiæ Landgravius, Misn. & Orient. Marchio, Dominusque terræ Plisnensis*, in diplomate sub dato d. Polycarpi martyr. an. 1338. apud VVeckium, Descript. Dresd. *Wir Friderich von Gottes Gnaden, Lantgrav ze Düringen, Marggrav ze Mysben, und in dem Osterland, und Herre des Landes ze Plysen*, in diplom. confœderationis cum Abbate Fuldensi, d. Francofurti, die Domin. Voc. jucunditatis a. 1338. apud Dn. Struvium, Archiv. Hist. & Polit. *Nos Elysabet D. G. Thur. Landgr. Misnens. & Orient. March. Dominaque terræ Plisnen-*

sis,

ſis, *& Nos Fridericus eadem gratia junior*, *item Thuringiæ Landgraſius*, in diplom. d. VVartburgi, a. Dni MCCC. vigeſimo tertio in vigilia B. Martini Epiſcopi, apud Dn. Rudolphi, Gotha diplomat. *Illuſtris Princeps Fridericus*, *Marchio Myſſen. Gener carisſimus* dicitur in Ludovici Imper. diplomate Confirmationis omnium Iurium ac Privilegiorum præceſſoribus Friderici acquiſitorum, d. Romæ 27. Mart. a. 1328. l. c. *Illuſtris Fridericus Landgravius Thuringiæ*, *Miſnenſ. & Orient. terrarum Marchio*, *Dominusque Plisnenſ. Gener noſter carisſimus* ab eodem Imperatore dicitur in diplomate d. a. 1330. de Judæis Friderico conceſſo, loc. cit. *Gravis* vel *Acer* vulgo dicitur.

n. 34. FRIDERICVS † 1381. *Strenuus.*

Friderici Gravis filius; ſe ſcribit: *Nos Fridericus D. G. Thuringorum Landgravius*, *Misnenſis*, *Orientalis & in Landsberg Marchio*, *Comes in Orlamunde*, *dominusque terræ Plisnenſis*; in diplomate dato Dobrilucenſi monaſterio a. 1364. Dresdæ proxima 4. Feria ante Aſſumptionem Mariæ Virg. glor. apud Dn. de Ludewig, Reliq. MSCtorum Tom. I. Auxit enim ſuas ditiones emtione *Principatus ac Marchiæ in Landsberg* circa anno 1352. & *Comitatus Orlamundani* c. a. 1342. facta. Vna cum fratribus ab Imperatore Carolo IV. dicitur in diplomate ſuper Palatinatum Lauchſtet. des nechſten Dornſtags nach Invocavit a. 1350. *Die Hochgebohrne Friderich*, *Balthaſar*, *Ludwig und Wilhelm gebrüdere*, *Landgraven tzu Döringen*, *Marggraven tzu Meiſſen*, *in dem Oſterlande und tzu Landsberg*, *Graven tzu Orlamünde*, *und Herrn des Landes tzu Plyſſen*, *unſere liebe Obeime und Fürſten.* Sic in diplomate quodam Dobrilucenſi d. anno 1358. eſt: *Wir Friderich und Balthaſar von Gotts Gnaden*, *Landgraven zu Düringen*, *Marggr. zu Miſſen*, *in dem Oſtirlande und Landsberg*, *Graven zu Orlamünde und Herrn des Landes zu Pleiſſen.* Eodem modo ſe ſcribunt *Fridericus*, *Balthaſarus* & *VVilhelmus* fratres in diplomate d. a. 1368. VVartburgi am Pfingſt - Dienſtag Germanice promulgato; ac in diplomate dato ſuper curiam Fürſtenſee monaſterio in Altenburg, dominica Judica, an-

no 1363. Gothæ Latine edito. Cæterum Fridericus *Strenuus* communiter vocatur.

n. 35. BALTHASAR. † 1406.

Friderici Gravis frater; Scribitur: *Der hochgebohrne Balthasar, Landgrave zu Düringen und Marggrave zu Meissen, unser lieber Oheim und Fürste*, in diplomate Imperatoris Caroli IV. quo ipsum infeudat Norimbergæ, Sontags vor S. Gallen a. 1383. Cum fratre & fratris alterius filiis se nominat: *VVir Balthasar und VVilhelm, Fridrich, VVilhelm und Jürge von Got. Gnaden, Landgraven in Düringen, Marggraven zu Missen, in dem Ostirlande und zu Landisberg, Graven zu Orlamunde und Herrn des Landes zu Plizen;* in diplomate divisionis hæreditariæ eorum d. Kemniz am Donnersdag, S. Briccii dage, a. 1382. *Balthasar, VVilhelmus, Fridericus, VVilhelmus, & Fridericus natus præfati Balthasar, D. G. Marchiones Misn. Thur. Landgr. & Comites Saxoniæ Palatini*, v. diploma permutationis cujusdam zwischen denen Marggraven zu Meissen und dem Bisschof Tymone daselbst, d. a. 1404. apud VVeckium Descript. Dresd.

n. 36. LVDOVICVS † 1381.

Vid. sub n. 34.

n. 37. VVILHELMVS † 1407. *Cocles.*

Frater erat Friderici Strenui, Balthasari & Ludovici. *VVir VVilhelm von Gotis Gnaden, Marcgrave tzu Missen, Landgrave in Döringen und Pfalzgrave tzu Sachsen*, v. diploma ab ipso, Rudolpho, Alberto atque VVenceslao Ducibus Sax. Germanice datum, concernens Abbatem Dobriluc. d. a. 1394. & diploma aliud d. a. 1403. apud Tenzelium, Supplemento hist. Goth. *Cocles* vulgo dicebatur *VVilhelmus.*

n. 38. FRIDERICVS † 1428. *Bellicosus.*

Friderici Strenui filius. Ab Imper. VVenceslao a. 1385. ipse & fratres appellantur: *Die Hochgebornen, Fridrich, VVilhelm und Geor-*

George, Gebrüdere Landgraven in Düringen und Marggraven zu Meissen, unsere lieben Fürsten und Oheime, v. diploma VVenceslai Imp. ipsis datum, Pragæ, Montags vor V. Frauen Tage Liechtmeß; apud Dn. Rudolphi, Gotha diplom. *VVir Friderich und VVilhelm, Gebrüdere von Gotis Gnaden, Landgraven in Döringen, Margrav. zu Miessen und Pfalzgraven zu Sachsen*, se dicunt in diplomate Comitibus Schvvarzburgicis dato a. 1408. apud Tenzelium, Supplem. Histor. Goth. *Nos Fridericus Senior & VVilhelmus fratres Germani div. favente clementia Duringiæ Landgravii, Marchiones Misn. & Comites Palatini Saxoniæ*, incipit diploma Institutionis Academiæ Lipsiensis d. a. 1409. apud Schneiderum, Chron. Lips. *VVir Fridrich, VVilhelm und Fridrich, Gebrüdere und Gevettern, Landgraven in Düringen, Marggr. zu Meissen*, habet ipsorum diploma unionis cum Johanne Elect. Mogunt. Johanne, Episc. Herbipol. & Johanne Abbat. Hirschfeld. d. a. 1413. in die B. Petri ad vincula apud Dn. Struvium, in Archiv. Hist. & Polit. *Balthasar, VVilhelmus, Fridericus, VVilhelmus, & Fridericus natus Balthasari, D. G. Marchiones Misnenses, Thur. Landgr. & Comites Palat. Saxoniæ*, est in diplomate permutationis cujusd. inter Marchiones & Episcopum Misnenses d. a. 1404. apud VVeckium Descr. Dresd. *Der hochgeborne Friderich, Landgrav in Thüringen und Marggrav zu Meissen der älter, unser lieber Oheim und Fürst*, dicitur ab Imperatore Sigismundo in Litteris investit. super Ducatum & Electoratum Saxoniæ eidem datis Presburgi, in die Epiph. Domini, a. 1423. *Der hochgeborne Friderich, Herzog zu Sachsen, des heiligen Römischen Reichs Erzmarchall, Landgrav in Thüringen und Marggrav zu Meissen, unser lieber Oheim und Churfürst*, nominatur ab eodem Imp. Sigismundo in altero diplomate super Ducatum & Electoratum Saxoniæ *Friderico Bellicoso* concessum anno 1425. Budæ in die S. Petri ad vincula.

SIC BVDA REDDIDIT FAMILIÆ BVDSICÆ DVCATVM SAXONIÆ, qui deinde semper permansit apud posteros Friderici Bellicosi Serenissimos.

n. 39. FRIDERICVS † 1440. *Simplex.*

Balthasari filius conf. n. 35. *VVir Friderich von Gotis Gnaden,*

den Landgrave in Döringen, Marggrave zeu Meiſſen und Pfalzgrave zcu Sachſen, der jünger; v. diploma Senatui Gothano de teloniis conceſſo a. 1416. & aliud d. a. 1438. apud Tenzelium, Supplem. Hiſt. Gothanæ. *VVir Friderich von G. G. Landgrafe in Döring, und Marggrafe zu Meiſſen, der jünger,* eſt in diplomate d. a. 1412. am Freytag nehiſt nach Reminiſcere, apud VVeckium Deſcript. Dresd. Communiter *Simplex* vocabatur.

Vnicus *Fridericus Bellicoſus* propagavit ſtemma, quod tamen hic recenſere amplius nolo, dum apud Scriptores Saxonicos certiora nunc inveniantur, hinc actum agere non cogito.



